



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas III. An cognitio supernaturalis omnis, sit connisis essentialiter
vera.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

& significatum, vel tanquam inter duas orationis partes, quæ tractim inter se junguntur; in præsentia autem nihil horum est, nec est unio inter illam locutionem externam & intereticentiam.

RESPONDETUR. Circumstantias externas, esse signum æquivalenter, licet non formaliter internæ locutionis, & per hoc signum æquivalens, uniri & explicari locutionem internam seu intereticentiam.

OBJICITUR Secundò ex Lugò. Veracitas obligat quidem ad conformanda verba menti, sed non ad conformandam mentem cum mente; debemus ergo comparare verba ipsa cum mente, & videre ex una parte voces externas, cum sua significatione; ex alia mentem loquentis, & considerare, an verba exprimant id, quod est in mente; quomodo autem exprimunt si ponitur intereticentia?

RESPONDETUR. Illa verba si sumantur in circumstantiis, in quibus plura significant, quam dicunt, exprimere mentem loquentis.

OBJICITUR Tertiò. Tota obligatio veracitatis, est, ad conservandam vitam humanam & commercium politicum; quod æquè nutaret, si licita esset intereticentia.

RESPONDETUR. Ita ad convictum politicum attendendum est, & cum salvandum, ut fervetur jus secreti, quod facile extorqueri posset, si illicita foret intereticentia; nemoque tenetur abstinere ut plus significet quam dicatur, quantumvis ex ignavia, aliquis non penetret; ita etiam in præsentia, ingerebantur ipsi circumstantiis ad notitiam, quod ingererent verba, si ponerentur.

OBJICITUR Quartò Ripalda. Eiusmodi locutiones quæ sunt cum intereticentia sunt mendacium: locutio enim constituitur significatione externa verborum.

RESPONDETUR. Locutionem formalem humanam, constitui locutione externâ, sed non locutionem æquivalenter, quæ pendere potest à circumstantiis, ut cum plus significamus quam dicimus.

OBJICITUR Quintò. Possemus dubitare de fide, an non DEUS aliquid reticuerit in revelatis.

RESPONDETUR. Quod non. Ratio quia pænes Ecclesiam est infallibilis assistentia Spiritus Sancti, explicativa circumstantiarum revelationis, si forte quæ essent æquivalens locutio; præcipue autem: quia in explicandis altioribus theoriis præceptionibusque morum, dissonum esset naturæ intellectuali, intereticentias frequentare; ex quo titulo obligatus est DEUS, illis abstinere in rebus fidei.

INSTABIS. Licet DEO amphibologia. Ergò & mendacium.

RESPONDETUR. Negando consequentiam. Quia in amphibologia nulla est dissonantia

ad naturam intellectualem secus in mendacio.

DIFFICULTAS III.

An cognitio supernaturalis omnis, sit non-nisi essentialiter vera?

Ripalda de ente supernaturali ponit disp. 58.

An Cognitio supernaturalis possit esse falsa ex natura rei? & 59. An saltem potestate DEI absolutâ? Priorem thesim negat; de posteriori iudicium suspendit, ad quas etiam disputationes, remittit se hic disp. 10. Sect. 1.

DICENDUM est. *Possibilem esse cognitionem supernaturalem, & tamen non nisi probabilem.*

PROBATUR Primò. Quia nulla implicantiâ.

PROBATUR Secundò. Possibilis est actus prudentiæ supernaturalis. Ergo & iudicium supernaturale probabile; nam etiam iudicium prudentiale, movetur rationibus probabilibus.

PROBATUR Tertiò. Opinari probabiliter, non est ratio dissona naturæ intellectuali creatæ, quamvis non sit perfectio naturæ ut sic intellectualis. Ergo non est ratio, cur illi elevativum supernaturale accedere non possit. *Aptatur in contra argumenta Ripalda.*

OBJICITUR Primò. Supernaturalitas sicut naturam cognitionis evehit supra naturam cognitionis naturalis, ita ejus proprietates celsiores arguit: prima autem eaque potissima perfectio cognitionis, est veritas, & ad præsens certitudo.

RESPONDETUR. Quod supernaturalitas evehat cognitionem naturalem, ratione ordinis non in gradu entis & perfectionis; hinc accedens supernaturale, est perfectius substantiâ naturali, ratione ordinis, non ratione gradus entis. Consequenter & probabilitas, erit perfectior ordine, præ certitudine naturali, licet non perfectione & gradu noscendi.

OBJICITUR Secundò. Ex conceptu virtutis intellectualis, quæ ex Aristotele verum attingit. Unde etiam opinionem negat esse virtutem; omnis autem cognitio supernaturalis, est actus virtutis supernaturalis.

RESPONDETUR. Negando hoc sensu omnem cognitionem supernaturalem esse actum virtutis. Cur enim implicet opinio supernaturalis?

OBJICITUR Tertiò. Nihil est quod deturbet cognitionem supernaturalem à ratione certissimâ, si eam non deturbat in fide, ratio obscuri.

RESPONDETUR. Debilitatem motivorum, & concursum ab utraque parte pugnantium rationum, restringere cognitionem supernaturalem, ad formalitatem opinionis.

(k) 2

Objic-

OBJICITUR Quartò. Voluntas perficitur quidem affectu tendente etiam in bonum apparen-
s, secus intellectus: quia veritas cognitionis non sumitur ab apparentia objecti; sed à reali ejus existentia.

RESPONDETUR. Intellectum perfici primò à vero, prout est; sed minùs principaliter, perfici etiam à vero prout apparet, ut videre est in prudentia & ipsis opinionibus, quæ indubiè, meliores sunt errore.

OBJICITUR Quintò. Quiros in 1. par. disp. 4. num. 1. Actus supernaturalis, est specialissimè intentus à Spiritu Sancto, est formalis vel virtualis Dei locutio, est titulo suæ perfectionis supra vires naturæ; & tamen perfectio maximè necessaria cognitionis, etiam naturalis, est veritas. Omnis item actus supernaturalis, est debitus soli Deo: egregia verò Deitatis est laus, si sibi appropriet errorem, & si fides quæ inter actus supernaturales obscurior est, non potest esse falsa. Ergò nec ulla cognitio.

RESPONDETUR. Sicut datur cognitio certa & certior, ita dabitur minùs specialiter & specialissimè intenta à Deo: & ita habitus determinatus non nisi ad verum, erit specialissimè intentus: opinio autem minùs principaliter, ita, ut ei ratio specialissimæ conveniat in ratione ordinis, non autem in aliis formalitatibus. Negatur item, omnem actum supernaturalis cognitionis, esse vel formalem vel virtualem Dei locutionem, eritque adhuc actus opinionis egregia laus Dei in ratione ordinis, licet non æquando, alias perfectiones naturales; ut dictum supra in simili. Cumque de præsentī habitu constet ex revelatione & doctrina Patrum, illum esse certissimum, quæ revelatio non se extendit ad exclusionem opinionum supernaturalium, sit, ut adhuc illæ sint possibiles.

INSTAT. Omnis cognitio probabilis ex objecto est falsa vel vera. Ergo sicut Deus non potest esse causa erroris; ita nec probabilis notitiæ supernaturalis.

RESPONDETUR. Ex argumento sequi, saltem esse possibilem notitiam probabilem supernaturalem, quando ex objecto est vera. Deinde, potest dari notitia prudentialis supernaturalis, etiam si attento objecto ut est in se, res aliter se habeat. Ergo etiam in præsentī idem dici poterit.

DICENDUM est Secundò. *Possibilem esse cognitionem supernaturalem, quæ comparatè ad unum v. g. instans sit vera, comparatè ad aliud falsa.*

PROBATUR Primò. Quia in hoc nulla implacantia.

PROBATUR Secundò. Ponamus ante instans Nativitatis Christi, elicere aliquem fidelem, hunc actum. *Christus nascetur*; posset velle illum continuare, aut posset etiam DEUS illum determinare, auxilioque suo elevare, ad continu-

andum hunc actum, etiam pro instanti quo *Christus natus est*: qui actus comparatè ad illud instans quo nondum natus est, verus erit. Ergo.

PROBATUR Tertiò. Quia si tales cognitiones supernaturales non darentur, etiam hæc cognitio; *erit extremum judicium*, non esset supernaturalis: quia etiam illa cognitio est falsa, comparatè ad instans, quod nondum erit judicium extremum.

DICENDUM est Tertiò. *Impossibile esse cognitionem supernaturalem, & tamen erroneam simpliciter.*

PROBATUR Primò. Quia impossibile est Deum producere hoc, quod est dissonum naturæ intellectuali quæ tali; id autem competit errori.

PROBATUR Secundò. Quia & componeretur cum gradu supernaturalis ille error; & non componeretur; componeretur quidem ut supponitur; non componeretur autem: quia defectibile ex conceptu suo, non sunt componibilia; summè enim oppositorum, non datur compositio; nec apparet, quomodo error & supernaturale possint comparari inter se, sicut perfectibile & perfectivum; error enim, non posset esse perfectivus. Non etiam supernaturalitas esset perfectiva erroris; cum ipse error supernaturalis, non aliquam elevationem, sed depressionem potius adferret.

PROBATUR Tertiò. Si comparentur inter se error naturalis & supernaturalis; vel esset major defectus error supernaturalis, vel non; non potest dici quod sit major defectus: quia supernaturale adfert perfectionem, quæ debet superare quancunque perfectionem naturalem in eodem genere ut ostendit inductio; non etiam posset esse major defectus: quia excellentior defectus, in ratione defectus, semper est quid turpius; & sic turpius est aurigari Neronem, quam simplicem colonum, turpius est si scientia actus erret, quam opinio. Cujus ulterior Ratio est quia præter defectum, qui se solo adfert turpitudinem, datur etiam turpitudine, ut ita dicam, victi prædicari excellentis, quod debeat impedire illum effectum, nec confundi illa conjunctione.

RESPONDEBIS Primò. Quod ille error in quantum supernaturalis est, sit minùs defectuosus, magis autem defectuosus in ratione erroris.

CONTRA. Quia ex hoc sequeretur aurigari Neronem esse magis nobile, quam colonum, in quantum Nero est quid nobilius. Rursus cum ille error non quomodocunque sit major; sed prout junctus supernaturali; sic sumptus trahit secum supernaturale. Ergo si quæ junctus est major, quæ supernaturalitatem importans, est major.

RESPONDEBIS Secundò. Errorem, esse quid, supernaturali extrinsecum, adeoque falsum entia-

R. P.
THE MLOL
ZIANOWSKI
Tbm. de Z.
D. VI

entitate supernaturalis, potentem continere.

CONTRA est. Quia etiam odio Dei, est extrinseca amabilitas Divina; & tamen hoc non obstante, odium Dei non potest esse supernaturale. Ergo præcisè ex eo, quòd aliquid sit ratione extrinseci, non sequitur conjugibile jam illud esse cum ente supernaturali. Deinde licet quid sit extrinsecum error cognitioni: quia desumitur ab objecto aliter se habente: non tamen hoc sensu est extrinsecum, hoc est realiter superadditum, ipsi entitati.

OBJICITUR Primò. Falsitas conveniens divinitus cognitioni, componitur cum conceptu primario & secundario cognitionis supernaturalis. Ergo non implicat cognitio supernaturalis divinitus falsa.

RESPONDETUR. Negando antecedens, ob rationes allatas, & licet quidem ille actus erroris supernaturalis, foret distinctus ab errore naturali, sed hoc ipsum subjectum negatur, posse dari errorem supernaturalem.

OBJICITUR Secundò. Potest affectus supernaturalis esse vitiosus. Ergo & falsus.

RESPONDETUR. Antecedens esse verum, quando est extrinseca malitia illius actus vitiosi. Jam autem ratio dissoni, non est quid extrinsecum ipsimet errori. Supponitur autem quòd Deus dissonum naturæ intellectuali quæ tali, qualis est error, operari non possit.

INSTAT Ripalda. In casu antecedentis non solum mediâtè, potest ille actus esse malus, in quantum scilicet ab actu malo referretur in finem malum, verum etiam immediâtè: quia ipse immediâtè à Deo pro suo libitu prohibitus, fieri potest, contra prohibitionem divinam.

RESPONDETUR. Prohibitionem illam reddituram illum actum, non nisi extrinsecè malum: quia hoc est intrinsecè malum, quod ipsum in entitate manens, non potest fieri benè: hoc autem non competeret illi actui. Ea quæ subdit de duratione visionis beatæ; alibi soluta, hoc tantum addo. Negando à scientia simplicis intelligentiæ præsentari in visione repugnantiam ad destrui: cum possit esse visio Dei temporanea: vel ad maximum repræsentat, non posse illam à DEO destrui sub conditione, si DEUS nolit: ad eum modum, quo in Angelis repræsentatur incorruptibilitas, si Deus nolit uti suâ potentia ad id.

OBJICITUR Tertiò. Potest existere cognitio supernaturalis potestate absolutâ Dei, non existente objecto, quoad repræsentat. Ergo & cognitio supernaturalis poterit esse erronea.

RESPONDETUR. Duplicem errorem distinguere; quendam simpliciter, & pro omni eventu, ut si quis dicat Deus non est trinus. Secundò error, qui respectu hujus quidem in-

stantis error est, respectu aliûs veritas: Prioris illius erroris non potest esse causa Deus per se; nec potest existere supernaturalis cognitio, ita errans: potest posterioris ordinis: expressèque docet Quirós, occasionaliter posse se Deum habere ad errorem, sed non determinando præcisè ad eundem; & ita etiam Deus, non dando gratias efficaces, utitur jure suo; licet illis non datis, sequatur per accidens peccatum.

OBJICIT Quartò idem. Cognitio supernaturalis non alligatur objecto extrinsecò immediâtè, ac per se; sed mediâ voluntate Divinâ. Deus autem potest negare existentiam rerum supernaturalium, quod negat existentiam naturalium. Ergo potest negare cognitioni supernaturali, existentiam objecti.

RESPONSUM, quod Deus possit negare cognitioni supernaturali existentiam objecti, si illa versetur circa aliquid contingens, consequenter erit adhuc vera respectu diversi instantis; nec erit tunc error: quia profilire in actum secundum, quem hic & nunc circumstantiæ deposcunt, non est errare. Negatur tamen posse Deum denegare concursum existentiam objecti necessarii, & quæ talis, attracti à notitia supernaturali, idque ob rationes allatas. Ex quo etiam regulari debet, qualinam apparenti revelationi, possit fieri assensus supernaturalis.

OBJICIT Quintò idem. Potest esse visio sensitiva intrinsecè supernaturalis, quæ tamen retineatur in absentia objecti. Rursus de facto in apparitionibus miraculosis, ita fit, ut faciat Deus fieri visiones referentes objectum, quod re verâ non est. Ergo etiam poterit facere idem, cum sensationibus intrinsecè supernaturalibus. Ergo & notitia supernaturalis, poterit esse erronea.

RESPONDETUR. In sensatione nullum propriè reperiri errorem, de quo hic agitur. Deinde non esset tunc Deus causa per se erroris, sed non nisi occasionaliter; apparitiones etiam illæ non sunt dissonæ naturæ intellectuali, quæ tali.

QUÆSTIO II.

De Obscuritate Fidei.

PRÆMITTO Primò. *Fidem esse obscuram.* Ratio, quia id docet Scriptura & Patres, unde vocatur argumentum non apparentium, lucerna in caliginoso, enuntiaturumque est Patrum: Fidelis sum; nescio quod credo.

PRÆMITTO Secundò. *Obscuritatem fidei, ex alijs dictis, nullo modo posse habere rationem motivi,* & quamvis obscuritas conjungatur rationi formali fidei, ut si dicatur: formale fidei est veritas divina obscurè attestans: nihilominus obscuritas

(k) 3 non